

del Lazio ,

ma libell. 500.000

Il. efferenda
tio eiusque provinciis conterminis
lis, amplificandisnem concreditae fenus rependit
tiones vel per litteras instituit.
possessoris nomine, sive cuique
parva summa agatur.
que non fructiferas syngraphas;ras emit venditque.
cedit, aliorumque nomine obliga-
nibus, solvit.
pro committentibus gerit; locariaei Cestari, 21
NORUM, PRAENESTE, SUBLACI

JOSEPHI FORNARI

MILESIAE FABULAE
s accommodatae apud eph-
u facile agendis.FRIDIANUS
SIVE
INCONDITO ADULESCENTE
ET

NCISCULI PRANDIUM


Almae Romae commentarium

ROMAE

a del Governo Vecchio, n. 96
veneunt singillatim libell. 1.00.**ALMA
ROMA**

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 %, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim;

c) parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munita, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;

d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum exterarum gentium maxima aguntur;

e) exterios nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrecenti traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrecentis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prouti sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» » mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» » magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.

A

Pretium ann
march.
FORNAR

quae ad

Quema
nec sine
prius vac
natant, q
dant pra
guae usu
faciliorib
sensim a
gredi. Re
indiget; p
ctores on
ractere, s
pro diver
geniorum
solitus es
triplex; hu
dis; quib
tumidus e
ctat illud
orationis
tium et a
quod Att
nihil ina

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

Alba (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovì* (cum off. in opp. *Carrù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 1/2 %, si vinculum erit mensum sex; 4 1/2 %, si mensum duodecim;

c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munias, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;

d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;

e) exteris nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrendenti traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrendentis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maxime; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prouti sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei festi.

Ann. IV.

Romae, Idibus Februariis MCMXVII

Fasc. II.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺☺☺☺☺☺

De rationibus
quae ad latinae linguae cognitionem
facilius ducant.

II.

Quemadmodum illi, qui nare discunt, nec sine cortice probe natare possunt, prius vadum vel fluvium breve transnatant, quam in profundum mare sedant praecepites, sic qui in latinae linguae usu sese exercere incipiunt, a facilioribus recte auspicari debent, et sensim ad sublimiores auctores progredi. Res disputatione profecto non indiget; pariterque in promptu est auctores omnes non uno eodemque charactere, seu scribendi genere uti, sed pro diversitate rerum, forsitan etiam ingeniorum, diverso. Numerari autem solitus est ab ipsis antiquis character triplex; humilis nempe, mediocris, grandis; quibus opponitur stilos ieunus, tumidus et incertus. Huc equidem spectat illud Quinctilianus: « Mihi autem orationis differentiam fecisse, et dicentium et audientium naturae videntur, quod Attici limati quidem et emuncti nihil inane et redundans ferebant.

Asiana gens tumidior, alioquin et iactantior, vana etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui haec dividabant, adiecerunt genus Rhodium, quod velut medium esse, atque ex utroque mixtum volunt; neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes ».¹

Ex his patet, luculentos scriptores Romanos distinguendos esse iuxta triplicem stilum: grandem, mediocrem et humilem; imo, ex stili diversitate, alias Atticos seu adstrictos, alias Asiaticos sive redundantes, alias Rhodios, seu loco medio stantes, appellari posse. Profecto, si Ciceronem, si Sallustium leges, hunc illo « magis Atticum » esse nullo negotio deprehendes: tribus vocibus integras explet sententias, non circumducit, non interponit, asyndetis utitur, omittit verba; quemadmodum a viris doctis observatum est. Imo vix reperitur auctor classicus, in quo non aliquid praedominetur, quo ab aliis quodammodo interstingui possit.

Ex hoc fonte duos hosce rivulos deduco: floridae iuventuti primo propo-

¹ Inst. Orat., lib. II, c. 10.

nendos esse illos auctores, qui humili utuntur stilo, sive mediocri, qui perspicuus, purus et evidens est, qui rem quasi pingit et ante oculos ponit. Deinde sensim ad illos accedendum, quorum stilus subtilior et sublimior est. Praecedere debent Asiatici vel Rhodii propter lacteum copiam et facilitatem; Attici merito agmen claudunt: « Materiam - inquit Quinetilianus¹ - primum volo abundantiores, atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur. Quod me de his aetatibus sentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit. Volo enim se efferat in adulescente foecunditas. Quapropter imprimis evitandus, et in pueris praecipue, magister aridus, non minus quam in teneris adhuc plantis siccum et sine humore ullo solum ». De stilo par esto iudicium.

Rivulus alter hic est, attendandam esse discentis indolem et propensionem. Cui Attica contigit indoles, Atticum auctorem facilius et libenter imitabatur, quam alium; cui Asiatica est indoles, huic Asiaticum auctorem evolvere et imitari volupe erit, quippe ingenio suo magis congruum. In illo ipso Ciceronis aevi felicissimo inveniri non potuit Ciceronianus, ab ipso Cicerone curiose quaesitus, praeter unum Ciceronem: ceteri contenti fuerunt, proprie et eleganter dixisse. Tacitus aliter loquitur quam Cicero; Cicero aliter quam Livius; alii vicissim aliter; quisque sequitur ingenium suum, et omnes tamen Latini sunt. Itaque praeter rem et rationem facere mihi vi-

dentur, seque suasque spes corrumpere, qui iurant in unius auctoris verba, licet is Cicero fuerit! ...

Magna porro seges est auctorum ex soluta oratione (de poëtis enim hīc non disseram) et magna inter illos differentia; non dumtaxat circa stilum, sed etiam circa res, de quibus scripserunt. Sunt alii historici, philosophi, oratores, comici; quidam epistolas ediderunt; quidam conscripserunt colloquia, et sic consequenter. Laudem merentur omnes: Plinius, Curtius, Livius, Cornelius, Suetonius, Cicero, Tacitus, Varro, Caesar, Columella, Petronius, Sallustius, Florus, Seneca, Plautus, Terentius et plures alii, qui nemini possunt esse ignoti. Verum enimvero, quis omnes auctores accurate perlustrare potest? Quis in sola lingua latina canos contrahat?

Ulixes multorum hominum mores cognovit, vidit et urbes, ut cecinit Homerus. At in singulis gentibus et civitatibus non tam diu haesit, ut cives omnes nosceret et quid in singulis familiis ageretur intelligeret; nusquam autem magis erravit, quam quum per Calypson fascinari se atque detineri passus est. Itaque suaserim ut post Cornelium Nepotem, quem auctorem primum pro adolescentibus facile recognosco et probbo, quippe qui insignem suavitatem habeat latini sermonis, et nativum quemdam leporem, omnia fluida, pura, facilia; post Cornelium, inquam, Nepotem, adulescentes sese exerceant in Caesaris historiis, in Ciceronis orationibus, in Plauto, Terentio, Plinio, Sallustio, Tacito, Seneca. In his erit Calypso; qui non immerito appellari possunt maiorum gentium aucto-

res; quibus latinitatem vere Romanam ex asse deberi nemo ibit negatum; nec allucinabitur studiosus, si quando hīc paululum moratur, omnia probe digerit et in alibilem succum convertit. Alios auctores extra hos si legere animus est stili formandi ergo, perget cum Ulike, nec diutile pedem figet in una atque altera pagina, sicut illi qui diem perpetem in una vocula sudant, neque tamen sese extricant; sed elegantiores loquendi formulas prae ceteris prominulas notabit seorsim, res scitu dignas omnino negliget, cetera intacta relinquit. Nam qui rosas legit non una spinas derunciat, sed saepe illas pedibus conculcat et praeterit, ne sibi sint in mora.

(Sequitur).

DOCTOR HAVER.

DE DOMINICIANA FAMILIA

[Ob septimum centenarium ab eius origine]

Erat annus millesimus ducentesimus sextus et decimus post Christum natum, quum Dominicus e Gusmanorum Hispanica domo, sacerdos, divino instinctu mirabiliter excitatus, sacrae suae familiae radices ponere instituit. Hic enim, quum magnos adversarios improborumque conatus in dies cerneret aciores fieri in sanctam Christi sapientiam funditus evertendam, paratus omnia pati quam tantam ignominiam tolerare, invicta fortitudine atque in ipsis rerum difficultatibus audacior factus, hostium malignitatem frangere omnino studuit. Sed quo facilius rem suam obtineret et securius

animos suorum confirmaret, qui in unum spiritum ad Dei obsequium constanter coalescerent, certos ad se advocare viros cogitavit, quibuscum veluti agmine facto, pro animarum salute atque pro divinae Ecclesiae decore, unice praelia decertaret.

Illo utique anno, inita est ab ipso sanctissimo viro sacra quaedam Societas, cui nomen a Praedicatoribus indidit, ob divinam sibi rerum praedicacionem impositam; quam mox, labentibus annis, suprema populorum voluntas in obsequium prona erga viros religiosos, Dominicanam appellavit. Dominicus enim singulari consilio futura prospiciens, omnibus plaudentibus, se suosque sub peculiari Augustae Matris tutela posuit, a Rosario nuncupatae, cuius ope saepissime hostes Christiani Nomini devicti sunt. Et ipsa, enixa eius precibus exorata, sanctissimam familiam patrocinio suo confisam ita tueri coepit, ut illud pateret verissime dictum, neminem unquam ad Christi Matrem confugisse, quin voti compos abiret.

Res enim erant illa tempestate admodum Christiano Nomini infensa. At Dominicus summo acerrimoque ingenio praeditus et studio erga religionem exardescens, eo continuo contendit, ut animos ad Christianas virtutes converteret, ac populos familiariter oraret, ut rebus humanis neglectis caelestia omnino conquererent. Ad eius salutiferum exemplum complures undique subito concurrerunt, qui sanctissimis patris legiferi vestigiis inhaerentes, ad religionem sanctius colendam adsurrexerunt, et verbis candidisque moribus ad perfectiorem agendi rationem foven- dam homines compulerunt. Illis itaque

¹ Inst. Orat., II, 4.

turbulentissimis temporibus religioni maxime, uti diximus, infestis, animum rerum difficultatibus parem cum filiis gerens, Dominicus insignes de hostibus retulit victorias.

**

Quod si res apud exteras nationes tristes erant et infaustae, maiora Italiam mala imminere videbantur. Hic ipsa Innocentii III P. M. verba in medium referam: Gentes divulsae, provinciae desolatae, et generatim tota Ecclesia occidentalis confecta lamentis ». Et in Concilio Lateranensi patribus Cardinalibus illacrimans est locutus:

«Libertas confunditur, iustitia conculcatur... Invaluerunt hostes Ecclesiae... ut... impietas modernorum mensuram patrum transcendat».

Uno verbo, haec carmina de maris fortuna, mirum in modum aptantur:

*Rector in incerto est, nec quid fugiatve petave
Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.*

Et Ecclesiae in rebus tam angusti versanti adstitit in primis propitia Dominicis virtus. Quod quidem feliciter Aligherius noster descripsit, in carmine quod *Il Paradiso* appellatur:

*Poi con doctrina e con sapere insieme
Con l'ufficio apostolico si mosse,
Quasi torrente ch'alta vena preme!
E negli sterpi eretici percosse
L'impeto suo, più vivamente quiivi
Dove le resistenze eran più grosse.*

(Cant. XX).

Dominicus enim, ut divinitus Honoriis III P. M. admonitus apertissime fassus est, Lateranenses aedes, in quibus Pontifex Max. illo tempore incolere consuevit, humeris suis collabentes, cum Sancto Francisco aequali suo mi-

rum in modum sustinere visus est atque ab interneione tueri.

Sic, expressam Christi imaginem referens, Ecclesiae prosperitati unice inseriens, acerrima aequalibus obtulit et posteris incitamenta. Eloquentia sua audientium mentes tenere pectusque pervadere, voluntates quo vellet impellere in usu habuit. Alii enim doctrinam, alii pietatem, cuncti flexanimam viri eloquentiam mirabantur. Hinc magni ad eum civium advenarumque concursus fiebant, atque egregium laboris praemium in religionis incrementum obtinuit. Quo nomine vir pietate ac fortitudine insignis, atroci illo tempore, nullis deterritus periculis sanctissimisque moribus in exemplum emitens, quotquot ex omnibus dissitis orbis universi partibus, ad eum confluenter, cum ipso sacrum certamen pro Ecclesiae libertate pugnabant. Et multos labores et difficultates hac de re sunt alacres adgressi. Namque veluti ex improviso, quem ipsi ad unicam Dei gloriam amplificandam niterentur, fortuna saevire eorumque consiliis operibusque coepit obluctari: verum, patris ad exemplum, non eos paucorum vafritia rebus terrenis omnino servientium deterruit, non clamores inconditae multitudinis compreso per vicos et per compita irruentis: fusis multorum ad Deum atque ad Augustam Matrem precibus, protutamine sanctissimae religionis et pro incolumente Pontificis Maximi, omnium animos ad veritatem revocant atque ad pristinam sanctitatem.

In Hispania, in Gallia, novissime vero in Italia atque in primis Romae, nomen Dominicis per hominum ora voluntat et sanctitatis fama undique percre-

bescit. Re enim vera, suo potissimum opere, singulari consilio, lenitate atque industria, religio, iniuria temporum hominumque perversitate ad incitas veluti redacta, novo spiritu recreata paulatim reviviscit. Et Deus, quasi in magno orbis terrarum theatro, omnibus admirantibus, gloriam suam spectari voluit. Namque diu multumque noster adlaboravit, incredibilia quaeque passus est; nec unquam, ne tantillum quidem, a tramite suo deflexit; sed caste, integre, naviter munera omnia obivit.

Bononiae tandem laborum fessus et integra adhuc aetate in suorum complexu atque inter omnium preces et lacrimas, dominicus pectore candidus sanctissime decessit. Verum si ipse cecidit, non omnis moritur; multaque pars eius, exempla scilicet atque instituta durabunt. Nunquam verius et presius quam de viris religiosis videtur cecinus Vergilius, cum dixit: *Uno avulso (viro), non deficit alter!* Eum enim defunctum, mirum in modum, alter excipit, et iisdem quidem virtutibus exornatus, qui statim in Dominicis vestigia ingressus, gloriamque Ecclesiae fervidissime appetens, ut pater ipse Legifer, omnium sibi benevolentiam et admirationem subito conciliavit.

**

Quum Augustus diem obiit supremum, itemque Napoleo, patrum nostrorum memoria, fato cedens, suis dicere visi sunt:

Nos quoque floruiimus, sed flos fuit ille caducus!

Sic omnes omnium temporum principes, dolentes de se deque rebus suis

proferre consueverunt; at religiosi, qui ad caelestia spectantes mortalia contempserunt, immortalitatem divinitus sunt virtutibus adepti. Per ipsos enim demortuos:

Magnus ab integro saecorum nascitur ordo!

Miro sane singularique exemplo Dominicis alumnos Deus singulis inde volventibus annis, sapientia imbuit gloriaque cumulavit. Et virgines, eius sanctitati devote, rebus omnibus mortalibus posthabitis eiusque sacras leges secutae, eius nomen laudibus innovarunt. Prae ceteris Catharina Senensis est maximis honoribus perforanda, quae religionis amore flagrans atque patriae, Pontifices Maximos, ut alia praeclarissima praeteream, Avenione in honorate degentes, Romam in sedem dignitatis suae, omnibus undique populis admirantibus, divino freta consilio, revocavit. Et in illa nova orbis parte, quam nobis Christophorus Columbus donavit, Rosa celeberrima floruit, quae disciplina Dominiciana exulta maximis virtutibus enituit.

Et nostra etiam aetate, annos grandioribus meritis computat dominicus pro benefactis, per socios suos, in genus humanum collatis. Quot virorum clarissimorum nominibus et Gallia hisce nostris temporibus honestata est! Inter hos ponere haud dubitaverim Lacoderium, qui recentioris pravitatis errores iis verbis perculit, quae non potentiorum libidine, non improborum odio irretita, per aequas, per iniquas regiones ad extremos terrarum fines perruperunt, aeternum duratura in religionis defensionem; quam mille hominum pravorum artibus impetitam, ab

adversariorum factionibus ingenio atque auctoritate nominis acerrime is vindicavit.

Novissime vero ab eodem sacro Parisiensi suggestu clarissimus pater Monsabré, vindex veteris disciplinae, in sacris concionibus princeps divinae eloquentiae salutatus, adsiduus, disertus, pugnax per omnes temporum vices, humana ut mortalia aestimans, divina ut immortalia, adstantibus haud raro ipsis incredulis, doctrina, prudentia, pietate singulari, parentis virtutes ita insigniter retulit.

Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt,

o Alberte Guglielmotti, amice suavissime, qui ingenium in rebus nauticis admodum consecrans, praeter omnium opinionem cum Livio decertare videris in historiis potissimum conscribendis de pugna ad Echinadas insulas facta, in qua osores christiani Nominis victi fuerunt, et virtus Pii V P. M. enuit et barbaricam pestem est feliciter deprecata!

Infinitus essem, si omnes vel obiter memorare vellem qui, omnibus temporibus, ductu consilioque Sancti Dominici, lumen atque ornamentum Ecclesiae popolorumque fuerunt, et in litteris, in artibus et in scientia; quique perpetuas laudes in honorem patris legiferi fundentes, sertis odoratis triumphale caput eius redimiunt.....

I. B. FRANCESIA.

*Asperius nihil est humili cum surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desaevit in omnes,
Ut se posse putent....*

CLAUDIAN., *In Eutrop.*, I.

De doctrina Sancti Thomae pleniore emolumento prosequenda

Enixe incumbendum esse doctrinae sancti Thomae, ad eamdem descendam atque in praxim deducendam, id monstrant et doctrinae ipsius perspicua excellentia, et totius Ecclesiae, imprimisque Summorum Pontificum, solemnissima frequentissima hortamenta;¹ ita ut inter christifideles omnes haec iamdiu, et quidem recte, pervaserit opinio, in illa haberi ipsius Ecclesiae sententiarum tum pleniorum integritatem et sinceritatem, tum rectiorem ex ratione explanationem; quia scilicet Thomas ex pietate unice mentem Ecclesiae investigaverit ac prosecutus sit, atque ex ingenio plenius fuerit interpretatus.

Cuiusmodi studium longe facilius evadit iunioribus tirocinii theologici annis, ubi et superiorum praceptoris, et sodalium exemplo impelluntur sacerdotii candidati, neandum animarum curis aliisque officii impedimentis retrahuntur.

Senioribus vero annis, ubi haec adiumenta desunt atque impedimenta numero crescent, longe difficilius aegriusque sacerdotes huiusmodi studia prosequi valent, periculumque occurrit, ne quis et ea quae didicit in oblivionem mittat, ne prosequi negligat, ne doctrinas proinde Angelici in suis praesertim concionibus dominicalibus praeparandis negligat, quum hinc inde ex variis voluminibus quasi frustatum, et quidem labore magno, easdem emen-

¹ Cfr. scriptum EDUARDI HUGON in hac ipsa Alma Roma, an. III, fasc. XII.

dicare seu expiscari cogatur, atque ordinare ad finem suum debeat. Unde evenit ut non nisi memoria evanida huiusmodi doctrinarum retineatur.

Hinc ergo, quod ad praxim attinet, inquirendum videtur qua meliori ratione possit quispiam et thomistica documenta continuo atque perspicacius investigare, ac simul in ipsis suis prædicationibus adhibere: non tantum eo modo quo nonnulli oratores celebres conferentias seu collationes concinnaverunt, quasi Thomam pedetentim interpretati, sed in suis, et quidem consuetis concionibus, in usum fidelium, etiam rudium, aptantes.

Hanc quidem viam invenit theologus suo tempore celeber, Fr. Ioannes Benedictus Perazzo, O. P., Venetus, atque publici iuris aliquando fecit in libro, cui titulus est: *ECCLESIASTES THOMISTICUS, seu BIBLIOTHECA CONCIONATORIA ex operibus sancti Thomae Ecclesiae Doctoris collecta, et in Promptuarium, seu Alphabetum Theologicum, Morale et Politicum, per titulos iuxta Sententias Sacro-Morales ceu fundamentales Angelici Doctoris, serie Alphabetica digesta et coordinata...* Opus exhibens totius ferme Thomisticae Veritatis compendium, *Theologis et Iuris consultis, Ascetis et Verbi divini Praeconibus, item Praelatis et Rectoribus ecclesiasticis, et saecularibus, sicut ostendunt quatuor indices, proficuum.*

Quem titulum, etsi fusiorem, exscripsimus, quum operis rationem exhibeat. In Prologo autem auctoris mens hisce explicatur verbis: «Sanctum Thomam splendidissimum Ecclesiae lumen,.... Mutum Bovem... super gymnasii cathedras altisonas... et edere mu-

gitus audimus, et audivimus edidisse. At in sacris Ecclesiae suggestis, si theologicas quandoque doctrinas excipias, quoad sacro-moralia ad recte vivendum utilia documenta, ferme adhuc *mutum*, non sine animi moerore, experimur. Quum tamen Thomisticum penu iis omnibus refertum sit, quibus ad quaecumque volueris uti valeas, quod cum Apostolo «omnibus omnia factus sit» sapientissimus Doctor ac pientissimus. Hinc merito Academia Parisiensis insignis eo elogio vocat sanctum Thomam «omnium universitatum lucidissimum candelabrum unde omnes fideles sanctae vitae et sanctae doctrinae lumen accipiunt». En singulare, pie ac Doctoris sancti studiose Lector, assumpti laboris nostri uno verbo motivum... Ut enim quemadmodum mentes hominum claris illustrat doctrinis, ita et voluntates salutaribus monitis reformaret, et praeter intellectuales virtutes, morales quoque fidelibus utiliores insereret, vitia proinde eradicaret, *Thomisticum Ecclesiasten*, hoc est concionatorem, Doctorem sanctum depropnsimus. Quod quidem munus, tot licet studiis occupatus, nullo unquam tempore praetermisit, utramque simul Dei dono sanitatem impartiens, uti Romae in Basilica Apostolorum, fluxu sanguinis laboranti feliciter mulieri illi contigit persensisse. Sane, sicut non omnibus ad escam quamcumque par stomachus, ita ad altissimas ac divinas quaestiones non omnibus captus aequalis... Igitur non omnium est Theologicas doctrinas capere: at moralibus instrui disciplinis et simplicium pariter est et intelligentium.

«Quoniam vero quae pluribus dissidente locis per sanctum Scriptorem

dispersa opportune sunt, non ita plana ad reperiendum sternitur via: id nostrae curae fuit ut hinc illinc excerpta, alphabetico ordine simul sub uno verbo colligeremus, adiectis ulterius marginalibus notis, ut quidquid, amice Lector, exoptes, uno veluti intuitu excurrere liceat et ad manum habere. Nec tamen doctrinale omnino negleximus: quae namque ad veritatis notitiam opus erant, disputationibus missis et controversiis, quam brevius nobis licuit, attulimus: sed principalius ac fusius in sacro-moralibus studium impendere et operam impendere adnisi sumus... Quidquid autem ex auctore nostro protulimus, illius formalissima verba sunt, fidelissime exscripta, et primae respondent allegationi sub notata in margine littera: cui et alias frequenter allegationes addidimus, ut si tempus super sit, fusius ea de re alibi possis Auctorem consulere ».

Quod quo clarius intelligas adverte, v. gr. materiam de Christo praedicabili non minus quam 356 articulis doctrinae, in 227 paginis in-folio, contineri. Et sic de aliis, proportione servata, argumentis. Mirabile inquam opus; quod legens de quolibet arguento praedicabili et ipsammet Thome discas penitus doctrinam, et tuam praepares concionem de dominica aut festivitate occurrente.

Doctissimus auctor omnia argumenta et divisionibus nitidis et explanationibus perviis reposuit, ita ut nullum opus, quod sciam, tantae sit utilitatis atque opportunitatis ad doctrinae Thome et descendam, et docendam perpetuo, cum minima difficultate et maxima utilitate.

Dum Cardinali Fr. Vinc. Ursinio, O. P., viro sollertissimo et doctrinae thomisticae peritissimo, qui postmodum et Pontifex Benedictus XIII evasit, opus suum dicat, haec concludendo Perazzus addit: « Cohaeret ferventissimo pastoralis tuae charitatis zelo, quem humiliter exhibeo, Thomisticus Ecclesiastes, ut nimurum operarii, tibi in spirituali vinea adlaborantes, archetypum habeant, unde proficuam discant adhibere culturam, et ex Crucis torculari, uno Thoma dirigente, sacros norint humores exprimere, ad eam utique irrigandam et utiliter fecundandam ».

Cuius eximii operis non una quidem prodiit editio: hodiecum tamen passim ex ignorantia dimittitur. Utinam nonnullus aliquando rursus exoriatur editor, seu Mecenas, qui editionem novam excudi curet, ut denuo Thomas suggestum sacrum concendat, ad omnium fidelium summam utilitatem, immo et ipsorum praedicantium beneficium!

I. I. BERTHIER.

VETERA ET NOVA

De monumentis castrensis.¹

Ad aggerem venio. Is fuit terreus quidam, et alia materie mixta, mons et elevatio, quem maiores nostri urbem versus producebant et attollebant, ut ex alto pugnarent, turresque ac tor-

¹ Cfr. an. III, fasc. XII.

menta omnis generis super ipso constituerent. Cuius peculiaris usus certum ex Cicerone indicium affertur in illis *Philippicae* V verbis:

« Graecia vel receptaculum... pulso Antonio, vel agger oppugnandae Italiae ». Scilicet, quum obsiden- ti operis ordo esset vallum, fossa, agger, Graecia finitima habebatur, et mari, velut fossa, divisa, et alta ad oras, eoque velut agger imminens ad oppugnandum.

Agger e terrae, lapidum, lignorum congerie struebatur; lignorum praesertim: virgulta enim et fasces maxime hic usui sive ad attollendum, sive ad implendum: quod etiam ad officium agger adhibebatur, ut planissime a scriptoribus ostenditur. Ita ex. gr. apud Caesarem (*Bell. Gal.*, VII, et passim): « Aggere paludem expleri iubet »; « proximam fossam agere explet »; et (*Bell. Civ.*, II) « vimina materiamque comportari iubet, quibus comportatis rebus, aggerem exstruit »; et apud Hirtium: « Arboribus excisis, quae longitudine utramque ripam contingent, projectis, re-

pentinoque agere inecto, flumen transierunt ». Non itaque mirum quod aggrediens incensos fuisse nonnunquam lega-

In bellum

Siccine finitimas agitat discordia tetra
Gentes, quas belli concitat usque sonus?
Quae vis caeca rapit populos, ut vertere dextras
Communem in cladem perniciemque velint?
Inque vicem sese feriant lanientque cruento
Humano donec tota rubescat humus?
Ah male sit tibi, saeve Cain, qui primus es ausus
Fraterna immites tingere caede manus.
Et pereat, populus qui primus movit ad arma,
Iussit et instructos martia signa sequi;
Et pereat, ferro docuit qui scindere lites,
Sanguineaque via tendere ad imperium!
Atqui nos omnes argilla finxit eadem,
Signavitque sua nos Deus effigie:
Nos omnes veteri purgavit crimine Christus:
Nos inter voluit fratris habere locum.
Vel populi vivant, qua sol caput aureus effert,
Vel qua caeruleo conditur oceano;
Vel gravis arentes ubi campos aestus hiulcat,
Aut ubi perpetuo frigore saevit hiems;
Scilicet aeterno sociantur foedere: fratres
Sunt omnes: terra est omnibus una domus.
Compositis bellis, mitescant saecla, nec ultra
Spectent se obliquis invida segna oculis;
Aequenturque solo valli turresque minaces,
« Occupet in tenebris militis arma situs ».
Sed formare animum, virtutem extendere factis,
Naturae omnigenas quaerere divitias,
Utilibus studiis nervos intendere mentis,
Alterum in alterius pervigilare bonum,
Hae tibi sint artes, mortalis homo: tibi restat
Dignius istud opus, dignior iste labor.
Exsistet felix variis de gentibus una:
Unus grex ovium, pastor et unus erit.

A. B.

mus: lignea enim materia ipsi abundabant. Saxi autem et lateres vel iniciebantur stipando aggeri, vel ad coēr-

cendum, videlicet ne terra prolaberetur. Ita apud Suidam: « Aggeres duos excitatabant utrinque ad murum: vinculum autem aggeris lateres erant, qui ex aedibus sumpti »; et apud Lucanum (*Phars.*, III):

tunc omnia late
Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvae,
Ut quum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.

Aggeres praeterea longe lateque extendi, tum in terra, tum in aquis, ex iis quae retulimus satis liquet, neque alii testimoniis res indiget, quae apud Lipsium plura legi possunt;¹ ubi quoque de mira eorum altitudine disseritur; quae tanta saepe fuit, ut cum urbium moeniis contenderet. Fuit enim agger integrum oppugnationis opus, quod pro necessitate aut opportunitate ad ipsos muros admovebant. « Nam latera quidem – scribit Lipsius – viciabant cladebantque lignis; sed antrorsus et urbem versus pars ea manebat aperta. Aggerebant igitur paullatim et promovebant in fossas ipsas, denique ad muros. Dum id fieret, nihilo minus turrem in aggere impositae, quae administrantes aut operantes tuebantur. Sed eae quoque cum aggere paullatim procedebant. Adstruo ex Caesare (VII, *Gall.*): Nostrarum turrium altitudinem, quantum has cottidianas agger expresserat, commissis suarum turrium aliis adaequabant. - Dicit cottidiano aggere turrem exprimi: in altum nempe, et id fiebat augmento illo et prolatione aggeris, qui oppidum versus crescebat. Scite enim tergum aut caudam aggeris humiliorem fuisse, et in clivum, fron-

tem versus, assidue ivisse. Qua in re interdum factum, ut agger, si parum firmatus aut densatus, prolaberetur in fossas. Narrat Livius, lib. X: Forte quodam loco male densatus agger, pondere superstantium in fossam procubuit. Sed carebant scilicet, et virgultis aut lapidibus identidem affirmabant ».

De singulari denique aggere Caesar loquitur, inferius vacuo, et ex parte castelli aut receptaculi vicem habente. Verba sunt in *Bell. Civ.*, II, 15: « Quod unde agger comportari posset, nihil erat reliquum, omnibus arboribus longe lateque in finibus Massiliensium excisis et convectis, aggerem novi generis atque inauditum, ex latericiis duobus muris senum pedum crassitudine, atque eorum murorum contignatione facere instituerunt, aequa fere altitudine atque ille congestius ex materia fuerat agger. Ubi aut spatium inter muros, aut imbecillitas materiae, postulare videbatur, pilae interponuntur, traversaria tigna iniiciuntur, quae firmamento esse possint, et quidquid est contignum, cratibus consernitur, cratesque luto integuntur. Sub tecto miles, dextra ac sinistra muro tectus, adversus plutei obiectu, operi quaecumque sunt usui, sine periculo supportat... Portae, quibus locis videtur, eruptionis causa in medio relinquuntur ».

Hactenus de aggere; in quo diutius sum immoratus, ut palam non multo negotio fieret, si – praeter generalem significationem tumuli aut acervi aggeri, qui fiat ad oppugnanda, cingenda, communienda oppida, aut tormenta aptius adhibenda, – per hanc vocem alveos quoque indicare possimus, quae a machinatoribus in aquis nunc etiam in-

struuntur ad iter militibus in mediis ipsis sternendum, eam nulla ratione usurpare nobis licere, ut a nonnullis factum est, ad *trincea* (*tranchée, trench, graben*), quae nunc auditur, latine designandam. Quomodo igitur latino verbo hanc dicemus? Alias videbimus.

I. F.

* * * * *
gum Christi verbum nunciantis. Ubiam tamen Athenarum in Areopago? In Martis colle, sede prima antiquissimi et celeberrimi illius tribunalis, an in nova, ab ἀγορᾷ non longe erecta? Et quisquis locus fuit ubi res acta est, tractus ne Paulus est ab Atheniensibus ad iudices, an eo tantum ubi tri-



INGENUARUM ARTIUM SPECIMINA

RAPHAËLIS URBINATIS TABULA
PAULUM APOSTOLUM EFFINGENS
APUD ATHENIENSEM AREOPAGUM.

Ex magnarum rerum informatione, quam mente conceptam Raphaël Urbina lineis reddidit, haud effugere summum artificem poterat scena illa mirabilis Pauli Apostoli apud Areopa-

bunal congregabatur? Quod si apud iudices, quo titulo?

Quaestiones huiusmodi diu agitatae sunt apud historicos. Quorum prisci, quum pro certo haberent Pauli temporibus Areopagum tribunal in Martis colle convenire, haud dubie et concorditer coniiciebant, Apostolum illuc deductum fuisse; quaestio circa locum quum nulla esset, in hac una sententia discrepabant, utrum fuisset eo dedu-

¹ *Polyorc.*, lib. II, dial. 3.

ctus ad doctrinam suam coram sapientibus explanandam, an ut a iudicibus auctoritatem eiusdem tradendae susciperet, an denique ut sese ab impietas criminē purgaret. Haec opinio, quam Cornelius a Lapide professus est,¹ satis invaluit; paullatim vero defecit, et vulgo prima superfuit, Paulum nempe in Areopago novam Christi doctrinam doctis Athenarum viris aperuisse.

Sanctius quidem ita sensit, Areopagum effingens, - sive is in Martis colle positus, sive βασιλεῖος στοά fuerit - non ut iudicium, sed sapientum coetum; scilicet Paulum in Areopago, haud vero coram Areopago repraesentavit; idque apertissime evincitur ex gestibus, exque vultuum ipsorumque oculorum vigore tum adstantium, tum maxime Apostoli; quem si quis, memorabilem eius sermonem apprime cognoscens, intueatur, facile sibi figuret verba sua divina adhuc repetentem.

Tabulam, non aliter ac quam in superiore numero retulimus, Urbinas non coloribus expressit, sed tantum delineavit; haec vero ut textili picto opere, quod *Arratiū* nuncupant, pro Vaticanis aedibus redderetur; quemadmodum factum est, et etiam nunc assertatur.

X.

COMMUNIA VITAE

Lapidatio militaris Romae Iudus.

IosFOR carissime,

Qui in *Alma Roma* vacui temporis horam per puerorum oblectamenta et

¹ Edit. Vidés, t. XVII, pag. 222: «Ductus est ergo Paulus ad Areopagum ut ibi quasi novae religionis assertor iudicaretur, et, si reus esset, puniretur».

ludos, festive atque iucunde, ut assoles, nos egisti, dicere ne potes an in militari lapidationis ludo Romani pueri sese adhuc exerceant, quem P. Ferrarius in I Collocutionum suarum, de quibus alias mentionem feci, describit? Quae quidem eius verba, ut rem apprime noscas, huc relata tibi devoveo:

« Ubi geminae acies mutuum in conspectum venerunt, continuo fit clamor et impetus. Prima in fronte puerilium nempe tirunculi audaculi ferociter velitantur. Puerilem velitationem consequitur peritorum e medio agmine puberum atrocior: tum e postremo atrocissima veteranorum, ipsorumque ducum fortissimorum eruptio. Tunc enim vero, addente alas furore, saxa volant innumera, quae violenti laboriosique volatus demum pertaesā, suam in sedem et centrum, per obstantium humorum capitum perruptas perfractasque moras cruentam sibi viam aperiunt. Ita concreta graves in lapides terra, in volucrem libertatem manumissa, pro liberatoribus suis mirabili spectaculo in aëre militat; et siccum diluvium non nisi post casum cruento madet. Videas hic alios agili callidoque corporis flexu, et levi saltu violentam petitionum tempestatem declinare: vulnerato alios capiti subitariam terrae iniectu medicinam facere, obligatoque raptim vulnere pugnam ardentius redintegrare, perinde quasi sese auctior per vulnus infuderit furor. Porro plerumque fit, ut, alternante victoria, conflictio fluctuet et undabundum utrumque se agmen ultra citroque propellat. Quod si factio alterutrius acies inclinare cooperit in fugam, tum vero sine mora, sine

requiete fugientium terga lapidum postica grandine graviter vapulant. Denique profligato bello, victores fugitorum aures hostium et animos sonoris sibilis conviciisque proscindunt ». - Vale.

A. FULCONIS.

Dulcissime rerum,

Imprudens profecto sim, si lapidationis huiusmodi ludum adhuc apud pueros romanos vigere negaverim. - Scilicet Romanorum vulgus (a plebe enim is luditur) ab humanitate tam longissime abest? - Ne hoc quidem credas, amice; sed, quia « naturam si expellas furca, tamen usque recurret », in Romana pube prisca vis ingenita cuiusdam, fere dicam, ferociae, aliquando a cultioribus moribus ex improviso et quasi sponte desciscit. Inde fit ut, quemadmodum aliquot ante annos Abyssinorum, ac deinde Turcarum pueriles acies cum Italorum invicem lapidantes vidimus ad Tiberinas oras, et nostris ipsis diebus inter sese certantibus hostilibus agminibus occurtere intercidat; quae nedum Wilsonius quispiam Mentor sapientibus monitis, nec vigil ipse urbanus virga sua castigare cum aliquo fructu queat ...

Plurimam tibi reddo salutem; cui optime consulueris, si, quum Romanorum istorum canalicolarum turmam, tam lepide (an melius dicam *lapide?*), decore, suaviter ludentium, vel eminus conspexeris, terga vertes spirabilesque magis auras captabis.

IosFOR.



PRO IUNIORIBUS

De Chlodoaldo narratio.¹

Itaque frequens cum venaticis canibus in saltibus erat. Saepe etiam (quale exercitatione mirum quantum caperetur) cum latis venabulis, cursorio equo insidens, grandiores belluas insestabatur. Atque una quadam die forte ita accidit, ut silvam iam inde ab multo aevo incaedua ingredieretur, ac primo ipso aditu monstruae sanae magnitudinis ursum conspicaretur. Subdidit illico equo stimulus venator impiger, fugientemque bestiam tamdiu incredibili celeritate atque ardore est insequutus, quam illa immenso prope cursu lassata, propter veterem aram quamdam substitit, obversa in hastatum minantemque equitem facie, alias unguibus, alias dentibus rem gerere paratissima. Cui tamen, immisso penitus in apertos hiantesque rictus venabulo, distenta multorum armentorum caede transverberavit ille alvum, ictuque discidit apprime felici.

Sed ea praeclarum hoc facinus exceptit calamitas, ut suae illum fortunae continuo poenituerit. Habebatur is lucus portentoso cuidam Numini, cui nomen Hirminsulem indigenae fecerant, late sacer.

Hinc, caeca quadam religione prohibiti, qui illum accolabant, cum ab eventidis arboribus, tum ad insectandis belluis abstinebant, veriti ne, si molestiae quicquam iis rebus exhibuissent quae ad Deum pertinere videbantur, poenas pendere cogerentur, perinde

¹ Cfr. num. sup.

atque inexpiabili scelere patrato; quod statim sub ipsam ursi caedem insigni exemplo comprobari visum est. Etenim caelum, quod antea sudum fuerat, obnubi; murmur terrificum tota late silva increbrescere; aëris crebris ignibus micare; bacchari euri aquilonesque; labes multis in locis agrorum fieri; germina sub pedibus arescere; omne omnia atque consternatione compleri; auctor denique ipse caedis, membrana quadam pupillis illico superinducta, lucis usura privari.

Tum demum sensit Chlodoaldus horifico illo apparatu unum se peti; sibi que violatam religionem aliquam expiandam supplicio ratus, de equo servorum ope desiliit, effususque ad aram aenei simulacri pedes amplectitur, obtestansque sibi, quodcumque illud esset, sive sceleris, sive erroris, donatum ut vellet: hospitem se loci, consuetudinis ignarum, fugientem bestiam, ad sui dumtaxat voluptatem, non ad illius contemptum aliquem interemisse: neque tamen nulli se affinem culpae praedicare; satis esse ad iustum nefas, loci tantam religionem non perhoruisse, atque ipsum tanti Numinis simulacrum insonti cruore conspersisse; nihil proinde in se morae esse, quin poenas Diis hominibusque meritas debitasque persolveret; unum illud, per quidquid sacrum sanctumque esset, orare atque exposcere, ne scilicet hominem tot calamitatibus iactatum fortunaeque telis confossum, post geminos amissos liberos, luce vel ipsa cariores, pateretur amplius oculorum sensu destitui.

(Ad proximum numerum).

H. L.

ANNALES

Europaeum bellum.

Non sine aliquo veritatis sensu dictum est, Europaeum bellum sermone magis quam armis primo huius novi anni tempore fuisse pugnatum. Re quidem vera, foederatorum populorum generalibus protestationibus, quas in superiore eventuum recensione nostra exposuimus, sequutum est propositorum suorum planum commentarium in litteris, quibus Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praesidis officiis illi responderunt. Immanis enim belli origine in iisdem revocata, tamquam e Teutonum voluntate imperii summa in Europa, et commercii in orbe universo, potiundi, eaque ex eventibus affirmata, pacem tum fieri posse declarant, quum et Belgarum, Serbiae, Nigrique Montis regna restituantur, iisque debitae refectiones tribuantur; et Galliae, Russiae, Rumaniaeque occupata territoria egerantur, illataque damna sarciantur; et in novum ordinem, eumque aequo regimine tectum, adducatur Europae status, in singulorum civitatum ratione, atque in securitatis omnis ac libertatis iure positus oeconomiae rei suae provehendae, quod populi cuiusque, vel minimi, proprium esse debet. Oportere pariter profitentur ut per foedera tum intersingulas, tum inter omnes civitates, terrestres maritimique cuiusque fines ab inquis incursionibus firmiter protegantur; ut provinciae ac terrae, alias per vim et praeter civium voluntatem a Teutonibus avulsae, antiquis possessoribus reddantur; Itali, Slavonii, Ru-

meni, Czeco-Slovaci ab externorum dominatione liberentur; itemque a Turcarum tyrannica crudelitate gentes huic irrite subditae exsolvantur; quinquo Turcarum imperium ex Europa depellatur, quippe barbarum et a nostra humanitate omnino alienum.

Fere simul atque huiusmodi notae, Teutonum animadversiones vulgabantur contra repulsam ab hostibus latam agendi de pace. Postquam circa hostilia argumenta subtiliter disputassent ut sese ab inlatis accusationibus purgarent, futuraeque sanguinis effusiones hostes insimulassent, concludebant Teutones, usque ad definitivam victoriam se esse pugnaturos. Quod quidem propositum eo vehementius per duorum Caesarum praedicationem est confirmatum, vix hostium consilia pervulgata fuere.

Dum hinc inde acriter de hisce argumentis ultro disceptatur, ennovus Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae actus intervenit; orationem dicimus, quam Praeses in Senatu habuit ad haec praesertim principia statuenda: ut foedera nempe pacem adductura pactionibus constant, quae ab universo humano genere comprobari possint; non quidem pacem componant propriis generalibus cuiusvis contrahentis rationibus faventem. Quum autem communes pactiones securam reddere hanc pacem nequeant, ut ea vis creetur foederis stabilitatem tutans, quae ab omnibus hominibus simul consociatis consequatur. Pax enim ex alterius utrius belantis Victoria manans, quippe quae victoris victo conditiones imponeret, in similitate et odio, tamquam in molli arena, consistet; non aedepol super unico solido firmamento conderetur; hoc est in aequalitate atque communis beneficij participatione. Eiusdem autem firmamenti id sit fundamentum, gubernia suam trahere potestatem ex civium consensu, neque licere cuique de manu ad manum, de dominatu in dominatum, veluti patrimonium, populos dimittere: inde enim, cum tranquillitate ordinis, et iustitiae sensu, et iuris, et libertatis, oritur necessaria cuique facultas, iuxta propriam virtutem industriam suam suaque commercia nullo impedimento explicandi; in mari potissimum, cuius viae omnes omnibus prorsus aperiantur. Denique ad veram pacem devenire nunquam licebit, nisi per bonam voluntatem, quae concessiones atque etiam sacrificia admittat; neque securitatis et aequalitatis sensus inter nationes permeabit, donec armamenta illa exstabunt, quibus alter alteri superior nunc fieri satagit. Monroe illius igitur doctrina in orbem universum uno foedere insinuanda est, per quam natio nulla in aliam nationem, vel in alium quemlibet populum, civilem rationem suam proferre conetur; verum cuique genti libertas esto ut civilem ipsam rationem, proprium sese explicandi modum sibi definiat, nullo, sive ex parvis, sive ex magnis potentibusque populis, impediente, nullo minante.

Haec Wilsoniane orationis summa; cuius verba facile in memoriam revocant monita sapientissima a Summo Christianorum omnium Parente atque Duce, Benedicto PP. XV, iam pridem prolati. Post quae, omnes autumabant Teutones, cum professionibus suis con-

gruentes, propositae pacis conditiones tandem aliquando aperturos.

At vero per Germani Caesaris editum atque per Imperii Cancellarii orationem, apud civilem coetum legibus ferendis habitam, bellum ex adverso asperius promulgant, ad maxima usque flagitia perducendum, scilicet ad navis cuiusvis, gentium ipsarum neutri parti faventium, subaquearum lintrium praesertim ope, eversionem!

**

Sed ad singulos circumlati belli campos accedamus.

Et primum ad Balkanicas regiones, ubi Teutones Bulgarique, in Valachia, Braila urbe potiuntur, iamque Dobru-giam omnem in suam potestatem redigerunt. Nunc offensionem suam ad Sereth atque Pruth flumina constitere; dum, contra, Russi, suam in Bucovina regione, Iacobeni inter atque Kimp lung, redintegrarunt. Inferius autem, in Albania, Itali Selesim et Arrà opida occupant.

In Asia Angli El Arisch oppidum, et ulterius, Rafana versus, munita alia loca in Sinai peninsula expugnant; pariterque in Mesopotamia.

Russi, in Riga provincia actionem suam necopinato et cum successu resumserunt; Galli ad Bapaume et Lens progressus fecere, fregeruntque hostiles conatus ad dexteram Mosae fluminis oram.

Itali denique per impervia nivalia Alpium iuga h̄ic illic valide sese firmarunt, repentinaque impetu Faiti montem Carsicae regionis invaserunt. In Libya quoque iis fuit pugnandum, ubi El Baruni, pervicax ille ardelio,

cum suorum fautorum agminibus, apud Zuara, defectionem attentavit; frustra tamen: brevi namque fusus et Agilah usque fugatus est.

In ponto pugnatum est, quamquam sine magni momenti successu, inter Anglos ac Teutones, ante Batavicum litus; in Interno autem mari, quum Italica navis, cui a *Regina Margarita* nomen, in subaqueas insidias offendisset, incendium passa est, per quod inter gurgites fuit absumpta.

**

Graecae res compositae, saltem pro tempore, videntur, petita satisfactione a gubernio reddita; itemque est, fausto auspicio, dicendum de **Mexicana re-gione**; ubi, rebellibus profligatis administrationeque Carranza ducis restituta, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae agmina a regionis finibus retracta sunt.

Kalendis Februariis MCMXVII.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Iam igitur ab hoc immani bello proxime consequi et hoc debere praedicant, ut qui armis sumendis impares sint, in propriam et **singularem militiae formam** conducantur: per hanc civium distributionem homines et mulieres, senes et pueri numerabuntur, per classes distribuentur, cogenturque ut iuxta cuiusque proclivitatem et habitum maxima contentione maximum foenus comparent ad communem utilitatem.

Evoe! rationem tandem invenimus, qua desidiosi, vani, fuitilesque catamiti omnivagique omnes e medio tollantur; si enim bellicis laboribus sustinendis adhiberi nequeant, utiles tamen aliquo modo evadent, exempli gratia ad aquam e puto hauriendam, ad pistrini molam asinorum vice volvendam; cote acundos gladios, in lucis lignandum; pullos, cuniculos, apes nutrienda; calamo piscaendum; visco aves corripiendas; do etiam aquam in pila contundere, vel in aqua scribere, laterem lavare, pilum in ovo quaerere ...

Qui vero artem aliquam profitentur, nae! hi civile cui addicantur suppleriorum munus faciliore negotio inventent. Nonne fisci administrari, collatores mulgere assueti, ad vaccas, capras, ceteraque lactifera animalia emulgenda adhiberi optime valebunt? Et advocati in inermium defensione tam idonei, quam maiore peritia ac dexteritate munitio-nes defendent! Danistae, potius quam fenerentur, hoc est proximum suum per pecuniam iugulent, o quanto magis commodo laneas fascias comparabunt, quibus milites in summis montibus proeliantes protegantur! Pictores sandaracha illinent automobiles currus, subaqueas lintres et omnis generis naves; tonsores abradent ... ad solum crates et valla. Sarcinatores foramina agent ... in hostili corpore; et sic deinceps.

Restant vero qui in vincula coniecti sunt. Quid iis? Profecto nulla via alia relinquitur, quam ut in libertatem vindicentur. Quamquam sortem suam cum novi generis liberorum commutare volunt? Quinimo timeo ne inter milites civilis huius exercitus reperiantur qui

tam operibus sibi concreditis defatigentur, ut culpam aliquam ex industria contracturi sint, ob quam carcere multentur, unico remissionis loco ...

**

Quod ad me attinet, si et mihi contingit istius delectus participem fieri, quum tantum temporis scribendo consumam, precabor ut **scriptoriae machinae** me designent; cuius historiam interim canere aggredior.

Anglus quidam, cuius nomen latet, anno 1714 primam scriptoriam machinam, a se inventam et constructam, iure proprietatis texit. Sed res cum eo sepulta est. Octoginta post annos, scilicet an. 1794, alteram huiusmodi machinam comparavit Bramel, et post ipsum Turrius Italus (an. 1805), Ruston (1829), Pogrin (1833), Perot (1839), et Petrus Foucault (1841). Huic, qui caecitate laborabat, primusque pecten sexaginta pinnarum adhibuit, magis fortuna favit; itaque eius pegma, simplex et ad usum prae ceteris facile, cito diffunditur; licet non longe lateque, quum neque commentarii, neque aliae praedicandi rationes eo tum progressa essent, ut Foucaltini operis notionem per orbem diffundere valerent.

Anno tamen 1885, Carolus Thurber, machinator americanus, illud vidit, quumque esset imitatus, sub nomine « Chirographi mechanici » Washingtoniensi inventionum magistratui exhibuit. Mechanica vero ars per dimidium fere saeculi ulterius quam processerat! Itaque factum est ut Thurberiani, seu potius Foucaltini, machinamenti defectibus paullatim multi alii machinatores supleverint repertis suis, prae-

sertim in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, ubi machinator quidam inter annos duodecim (1863-1875) non minus quam viginti quinque scriptoriarum machinarum diversa specimina condidit; inter quas fuit machina illa notissima, quae, a Neoëboracensi societate Remington per omnes terras diffusa, nunc cum machinis ubique gentium ad rem fabricatis de virtute aemulatur.

**

Nos vero, commercii certamina suis fatis relinquentes, mensae, uti solemus, accumbamus; est autem hodie **ferculorum ordo** prouti sequitur:

*Globuli ex solanis tuberosis.**Aper ad iuscum subasperum.**Crustula cum garo.**Pulpamenta bovina Anglico more assa.**Collyrae spuma lactis madefactae.*

**

Iocosa

Magister Tuccio arithmeticam docere exemplis conatur.

— Heus tu; mente, hanc computationem exequaris. Mater tua apud fructuum venditorem quadraginta libellarum centesimis aurea mala emit, pira centesimis quinquaginta; amygdalinas nuces octuaginta. Quanti expensat?

Tuccius tacet. Instat alter:

— Euge, mecum reputa. Si addas quinquaginta libellarum centesimas partes partibus quadraginta, nonne nonaginta erunt?

— Erunt equidem.

— Et si nonaginta hisce partibus reliquias octuaginta, nonne summam centum et septuaginta aequaveris?

— Optime.

— Dicemus ergo matrem tuam acquirendis fructibus libellam unam impenisse cum septuaginta centesimis partibus.

— Tu dixeris, non ego; qui optime scio nunquam matrem meam mercandis fructibus magis quam viginti centesimas libellarum partes erogasse!

Ad cauponam.

— Tolle pullum hunc, puer; matrus enim nimis est; ex dentibus compervi.

— Iocaris. Ecquando enim pullis dentes fuerunt?

— Non pullis, aedepol, sed mihi...

**

Aenigmata

I

(vulgo *Rebus monoverbum*).

e O e

II

Cornua deme mihi; furiali dente nocebo:
Ipsos vel celeres assequor ore canes.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Cilicia*; 2] *Mur-mur*; *Turtur*; *Tor-tor*).

IOSFOR.

... *Grande doloris**Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.*OVIDIUS, *Metamorph.*, VI.**ROMA SACRA****Ex Congregatione Concilii**

De provisione officiorum et beneficiorum durante bello.

Praesenti bello perdurante, integrum erit Ordinariis locorum collationem officiorum et beneficiorum vacantium differre ultra sex menses, quoties et quoisque peculiaria rerum et personarum adjuncta, prudenti eorum officio, id suadeant: speciatim vero pro iis iudiciis et beneficiis, quorum provisio per concursum, sive speciale, ad normam Const. *Cum illud* Benedicti Pp. XIV, sive generalem, fieri debet aut solet, collatio tituli protrahenda erit ubicumque et donec sacerdotes propriae cuiusque dioecesis ad militare servitium, belli causa, adigantur; interim autem providendum erit, praesertim curae animarum in paroecia vacantibus, per idoneos vicarios seu oeconomicos, ad normam S. Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 18 de Ref. (Ex decr. d. XIV mens. Novembr. MCMXVI).

Super lege abstinentiae in proxima Quadragesima.

Per decretum diei XXIX mensis Ianuarii MCMXVII de EE. PP. huius S. Congregationis Concilii consulto deque apostolicae potestatis plenitudine indulsum est ut in tota proxima Quadragesima, firma manente lege abstinentiae, ut antea, feria VI cuiusque hebdomadae, necnon feria IV Cinerum et feria IV Quatuor Temporum, universis Christifidelibus, in regionibus praesenti bello afflictis, eamdem abstinentiae legem loco Sabbati servare liceat alia cuiusque hebdomadae die. Iisdem praeterea fidelibus Sanctitas Sua concedit ut, durante hoc Quadragesimali tempore, carnes ac pisces in eadem refectione permiscere licite possint ac valeant. Quo duplici indulto SS. Dominus uti posse benigne annuit, quoad abstinentiam ex generali Ecclesiae praescripto servandam et iuxta prudens proprii Praelati arbitrium, omnes pariter utriusque sexus regulares ac religiosos sodales in memoratis regionibus commorantes, qui tamen peculiari ieunii aut abstinentiae voto non sint adstricti.

AD PRAETORIUM³⁾

Brevi ehm! spatio, rerum quae mutatio!..
Ibo sed recto ad Pontium; dicam denuo:
Nihil sit cum Viro... Cur non dicam Deum?
Et ipsa passa sum... Sonniavi sonnia,
Meam quae mentem torquent atque com-

[movent.

Enim repelli videbar a patria,
Multis oppressa turpiter molestiis:
Peregre abire, sola, citra consilium,
In urbe ignota, per odium Caesaris!
Premor quot nocte somniis vel integra;

Denum me excutio, sudore difluo!¹
Quid audio? Cuncti praedicant hunc no-

[xium!

Tacet, perfidi, cognovi invidiam!²
Qualis sed in viis clamantium strepitus,
Et aërem replent voces inconditae?³
Volunt sibi quid? Currunt vagi per compita
Clamantes urbis... Quid? Enixe postulant

¹ Rumor exauditur in via.² Proximat ad fenestram.³ Observat.

Ut ad necem reus ducatur protinus?
 Quid, impii, fecit, quod id supplicii
 Ei inferatur, omnium turpissimi?
 Viro locuta sum, quibusnam somniis
 Fui commota per noctes integras ...
 Trahi videbar tristis in exilium,
 Mea super fronte describi litteras
 Quibus portendebar traditor patriae ...
 Et Ille magnus in decore positus
 Per universum volitare celebrem ...
 Mihi nil tristius potuit accidere!
 Nihil sit ergo inter hunc et Pontium ...
 Ei parcat, Deique servet iustitiam! ¹

SCENA V.

LIBERA.

Frequentes adsunt in aedium limine,
 Et lacrimosae tristissimae mulieres,
 Iesum quae amore sacro depereunt,
 Et ipsa sepiunt domus penetralia.
 Queritantur alte, suspirant, eiulant ...
 Aedes pervadunt tristes passis crinibus,
 De plebe passim, populares, nobiles,
 Volunt et heram questibus perpetuis.
 Adest Herodis uxor... Quid velit, nescio...
 Cupit quid ipsa? Nil boni, procul dubio!
 Manus eius morte Ioannis sanguinat.
 At, at... Quo nuper ivit hera dulcissima?
 Et hanc nunc quaeritat, postulat Herodias?
 Ibo nunc intro et quaeram locis in omni-
 bus. ²

Cur ipsa venit? Quae vultus superbia!
 Quasi tu Romanam dices incedere.
 Quibus reginam verbis adpellavero?

SCENA VI.

HERODIAS et LIBERA

HER. Adest ne Pontii uxor hic clarissima?
 LIB. Et ipsam querito! Nam multa negotia
 Manent eam. Multae nunc pressant sup-
 plies

Eam volentes, servet ut incolumem
 Iesum detrusum ad tribunal praesidis.
 HER. Ad hoc, posthabitatis cunctis, huc venio ...
 LIB. Tun? ¹

¹ Exit.² Dum exit, ingreditur Herodias.

HER. Ego! quid miraris? Fulviam diligo,
 Nolim nec turbari pessimis somniis,
 Ut accidit mihi post turpem necem
 Datam mox Ioanni, meo consilio!
 Eam velim paucis!

LIB. Ibo maturius.
 (Qualis mutatio Dei consilio!) ⁴

SCENA VII.

HERODIAS

Meis e palpebris nunc discessit quies.
 Per omnes video noctes umbreculas
 Vagantes, turbant quaeque me, terrificant.
 Non audeo filiae suadenti haec dicere.
 Scio quot me malis verbis acciperet!
 Ioannem postquam condemnavit capitum,
 Ab ipso nuspiam quievi tempore.
 Et ipsae prope feminae, quae vigilant,
 Meis adsiduis torrentur questibus.
 Virumque cerno gravi supercilium
 Suo me indicantem severo digito,
 Caput tenentem nigro aspersum sanguine:
 « Vides choreae fructus, quos ferunt tuae?
 Manent dolores truces te, molestiae,
 Tuam replentes et angustiis domum ».
 Caput, post haec, super quatit me sanguine,
 Cubile foedat... Surgo tunc exterrita,
 Et illum videor sentire in aedibus...
 Cadunt si tanta per discipulum mala,
 Eo, magistri causa, maiora venient!
 Meum puto Fulviam monere officium,
 Ut huiuscmodi vitet infortunium.
 Bona est, et digna vivat iucundissime
 Sibi, suisque, complet quos muneribus!
 Sit usque felix! Virtus, ut postulat sua,
 Eam nec criminis laceret memoria.
 Scio quam spiritus dolet in posterum,
 Vel unum crimen si admiseris sanguinis!
 Venit sed ipsa. Quae vultus moestitia!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

⁴ Exit.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE..

NUMI

Apud
 deratores
 gesta Ron
 quotannis
 Pauli cu
 inter ha
 nis XIII
 lectio pa
 matum P
 ad XXVI
 Si quis
 piat, ro
 suam scr
 phum Fe
 tarii Mod
 verno Ve



Cand
 decorae;
 fabricatae
 FAC
 iare prop

quid miraris? Fulviam diligo,
rbari pessimis somniis,
hil post turpem necem
oanni, meo consilio!
aucis!

Ibo maturius.
tio Dei consilio!)⁴

SCENA VII.

HERODIAS

ebrius nunc discessit quies.
ideo noctes umbreculas
rbant quaeque me, terrificant.
filiae suadenti haec dicere.
ne malis verbis acciperet!
stquam condemnavit capitis,
spiam quievi tempore.
ope feminae, quae vigilant,
uis torrentur questibus.
cerno gravi supercilium
dicantem severo digito,
item nigro aspersum sanguine:
breas fructus, quos ferunt tuae?
lores truces te, molestiae,
entes et angustiis domum ».
t haec, super quatit me sanguine,
dat... Surgo tunc exterrita,
ideor sentire in aedibus...
tanta per discipulum mala,
tri causa, maiora venient!
to Fulviam monere officium,
emodi vitet infortunium.
et digna vivat iucundissime
que, compleat quos muneribus!
felix! Virtus, ut postulat sua,
criminis laceret memoria.
n spiritus dolet in posterum,
n crimen si admiseris sanguinis!
l ipsa. Quae vultus moestitia!
ximum numerum).

I. B. FRANCESIA.


JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

POLYGLOTTIS VATICANIS. - ROMAE.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud Commentarii *Almae Romae* Moderatorem numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad **Doctorem Iosephum Fornari**, *Almae Romae* Commentarii Moderatorem, Romam (*Via del Governo Vecchio, 96*).



Sculpturae et aeneorum Museum

G. Balducci & A. Giacomini

ROMAE

Via Sistina, N. 2

STATUAE HIC MULTIPLICES
TUM SACRAE CUM PROFANAE
VASA - COLUMNAE - MONUMENTA

Templa, Viridaria, etc., vel ex integro
decorantur.

☞ Prospectus gratuito fiunt ☝

Artificum optimi opera sua commendant huic museo, cui studia propria sunt ad lapicidinas.

CONSTANTINI PISONI

Pontifícia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.



COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.

“Credito Centrale del Lazio ,”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000
 ad decies centena millia libell. efferenda
 oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis
 promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditaे fenus rependit
 ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique
 latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas;
 quarum tamen de quaestu convenientendum est.

Exteriorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obligationis
 chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arcariae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria
 repetit; vectigalia solvenda curat, etc.

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiariae: ALATRIAE, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

IOANNIS B. FRANCESIA

ACTIONES DRAMATICAE

latinis versibus conscriptae

SATURIO ☺ ☺ ☺ ☺

☺ ☺ EUPLIUS ☺ ☺

☺ ☺ ☺ AD ROMAM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1.00.

JOSEPHI FORNARI

MILESIAE FABULAE

scenis accommodatae apud ephebea facile agendis.

FRIDIANUS

SIVE
 DE INCONDITO ADULESCENTE

ET

FRANCISCULI PRANDIUM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1.00.